

Q. N. 419, 18.

X 1876336

II i
1678

DEO JUVANTE
Inclytæ Facultatis Philosophicæ
consensu

JOHANNES VIII. PAPISSA

P. D.

PRÆSIDE

M. JOHANN-DANIELE ARTOPOEO,
Trarbaco - Mosellano,

Respondente

AUGUSTO DOROTHEO RUPERTI,

Bischoffswerdâ-Misnico,

oculis


Spectantium expositus

d. 30 Aprilis

clō lōc LXXIII.

LIPSIAE,

Typis JOHANNIS ERICII HANNL.



E. M. Morbitz

012 12



2116

VIRIS

Excellentiâ maximè Reverendâ

&

Amplitudine Nobilissimâ

CONSPICUUS

DN. JOH. HENRICO HORBIO,

Theologo celeberrimo, citerioris Sponhemix Comitatus Superintendenti vigilantissimo, Consistorii Ducalis Trarbaci Affessori Gravissimo, Pastori & Scholarchæ Trarbace-
no Spectatissimo, Viro de Respubl. literariâ & Ecclesiâ
Christi meritissimo.

Ut &

DN. JOHANN-JACOBO DUN-
CKERN, Judicii Aulici Affessori, &

Serenissimi atq; Celsissimi Principis ac
Domini

DOMINI CHRISTIANI,

Comitis ad Rhenum Palatini, Ducis Bavariæ &c. &c.
Secretario, Gravissimo, Spectatissimo, Viro de Patriâ
optimè merito, Affini & Evergetæ Parentis lo-
co suspiciendo,

PATRONIS atq; FAUTORIBUS
plus quàm filiali observantiâ prosequendis

Ad

*Contestandam debitam pro innumeris benefi-
ciis gratitudinem*

Specimen hoc Academicum

offert

M. JOHANN. DANIEL ARTOPOEUS,

PRÆSES.





Salutem & Gratiam
à
JESU!
Patroni & Fautores Hono-
ratissimi.



Erissimum communiter esse so-
let & experienciâ, eheu! com-
probatum Hebræorum prover-
bium : אֵינִי יוֹסֵף אֶת־עַמִּי
Exod. I, 9.

Ignorat Joseph, hoc est, benefi-
ciorum acceptorum se exhibet
inmemorem, eorumque quasi
ignarum se sistit. Josephi quondam, qui prudenti
Pharaonis somnii interpretatione, & providâ fide-
que annonæ procuratione de Ægypto universâ o-
ptimè meritus erat, adeò, ut jure Ægyptiis dictus
fuerit צַפְנֵי הַסֵּתֶר *Occultorum revelator*, seu ut R. Gen. XLI.
Chiskia explicat, : מוֹפֵיעַ צְפוֹנוֹת בְּרַעַי *Occulta illu-* 45.

strans per scientiam, Rex Ægypti mox oblitus
& ejusdem beneficiorum ignarus, crudelissimè in
):(2 ejus



ejus posteros vix tertiâ post Josephi obitum genera-
 tione debacchabatur, servitiisqve intolerandis eos
 premebat, imò fermè suppresserat. Cajetanus
 quidem in eâ est opinione, ac si in Scripturis non
 Rex Ægypti, sed Assyriorum potius intelligatur, &
 impossibile reputat ab Ægyptio Rege tam illustria
 Josephi in Ægyptos beneficia ignorata fuisse, suam
 Esai. LII, 4. opinionem ex loco Esaiæ probans: *In Ægyptum
 descendit populus meus in principio, ut Colonus esset
 ibi, & Assur absque ullâ causâ calumniatus est eum.*
 At, absurdam hanc esse opinionem, exinde patet,
 quòd ante Mosis tempora Assyrii Ægypto nondum
 imperarint, id quod evolventi historicos & chrono-
 logos fiet clarum. Assur verò cit. l. accipiendum po-
 tius esse ducimus, ut nomen Tyrannis, quibus Deus
 populum suum emendare solet, commune. Repu-
 gnant etiam Cajetani opinioni multa Codicis Sacri
 loca, quæ pessimam hujus Regis ingratitude[m] de-
 scribunt, quòd variis nempe incommodis & labo-
 ribus servilibus Israëlitas subjugârit & oppresserit, lo-
 co beneficiorum damna ipsis intulêre, ארץ-ויעבדו
 Exod. I, 13. : *Et servire fecerunt Ægyptii fi-
 lios Israël in duritiâ,* inquit Scriptura. Ecce, hæc
 erat grata beneficiorum tam illustrium recordatio!
 Sic protinus ingrata Regis Ægypti natura Josephi
 erat oblita. At, Senecâ judicare te, omnium iste est
 ingra.

ingratissimus, qui beneficii oblitus est, quiqve quod accepit, se accepisse negat. Merito igitur etiam Rex ille Aegyptiacus in summo ingratissimorum gradu locandus erit, qui insignium & aeternam memoriâ dignorum Josephi beneficiorum immemor non solum, sed penitus oblitus erat. Nec hic Rex solus ingratorum numerum explet, plures eheu! reliquit imitatores, qui beneficiorum acceptorum nullam prorsus habent rationem, ne quidem de testificandâ suâ gratitudine cogitantes, in quos optimè illud Menandri quadrat:

Μετὰ τὴν δόσιν λάχιστα γνησάσκει χάρις.

Ego verò, PATRONI OMNI OBSERVANTIA COLENDI! longè alium mihi præfixi scopum. Ab eo, quo me ad publicas Academiarum lectiones misistis, tempore, totus in eo semper fui, ut nulli de me dicendi *אני תמיד* ansam præbeam. Cum enim omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, tamen nihil est, quod malim, quàm me & gratum esse & beneficiorum memorem. *Gratitudo enim una est virtus non solum maxima, sed & mater omnium virtutum reliquarum.* Hic, inquam, cum mihi ob oculos obversaretur scopus, diu de opportunâ quâdam occasione, animum meum gratisimum erga VOS declarandi, cogitavi, nulla verò præfenti aptior se mihi obtulit unquam. Arripui igitur
tur



tur hanc, vestrisque, VIRI VENERANDI! nomini-
 bus præsens hoc specimen inscribere sum ausus. Le-
 vidense dicetis specimen, parum eruditionis spirans,
 ast primum est quod sub meo præsidio emitto, hal-
 lucinanti ergo condonetis. Affectum magis quam
 effectum consideretis. Nullâ re debitam meam er-
 ga VOS observantiam beneficiorumque gratitudi-
 nem declarare novi, quam præsenti specimine Aca-
 demico. Accipite igitur serenâ fronte, PATRO-
 NI! præsentem grati animi tesseram, porroque me
 mea que studia VOBIS habete recommendatissima.
 Hisce valete in Christo omnes. Dabam Lipsiæ d. 5.
 Aprilis anno æræ Christianæ clc lcc LXXIII.

Πεγ-



I. N. J.

Προίμιον.



O impudentiæ magni illi Roma-
næ Thaidis Amasii, ac Sedis Papalis tibi-
cines, Lojolitæ, hodiè sunt progressi,
ut in Sole meridiano cæcutire, ac ea quæ
in publicâ historiæ luce posita sunt,
verborum nebulis obscurare, vel penitus
negare, vel saltem in dubium vocare non
erubescant. Cum enim in scriptis suis
hunc præcipuè sibi præfixum habeant sco-
pum, ut ἀνυπαρξου Pontificis Romani infallibilitatem & sedis, ut
vocant, Apostolicæ Romanæ nunquam interruptam demonstrent
successionem, inde quicquid alterutrum horum vel minimâ ex par-
te labefactare videtur, illud omne à Cathedrâ Papali ejusqve Recto-
re Pontifice Romano summis amoliri viribus connituntur. Johan-
nam Papissam fœminam Cathedræ Papali præfuisse, eandemqve me-
retricio contaminâsse partu, uno ore historici omnes, quotquot an-
te Lutherum scripsere, testantur. Hanc, suspectam, imò falsam red-
dere, (cum eâ admisâ interruptam sedem Papalem esse concedere
cogantur,) hodierni Lojolitæ magno molimine conantur. Opera
igitur pretium nos facturos existimavimus, si intolerandæ huic Je-
suitarum arrogantia resistamus, historiamqve de Johannâ Papissâ
ab eorundem technis & dolis vindicemus, quod verò ut feliciter
succeedat, Juva ô bone Jesu Juva!

PARS PRIMA,

Κατασκευαστή.

S. I.



Em ab ovo, ut ajunt, orsuri brevem præsentis historiæ
narrationem præmittimus, quæ hujusmodi est: Cum
Carolus M. Saxones devictos ad Christianismum ad-
duxif-

A 2

duxisset, ex Angliâ in Germaniam viri docti religionis propagandæ gratiâ venêre, interqve eos Papissæ nostræ Pater cum uxore gravidâ, quæ Moguntia appulsa filiam nomine Gilbertam peperit. Hæc cum ætate paulum profecisset, seqve ad studia satis idoneam judicâset, sexum habitumqve mentita virilem, Fuldense intravit monasterium, ex quo cum Monacho quodam Amasio Athenas deinceps profecta, bonarum artium studio operam navavit sedulam, inqve literarum cognitione (felici usa ingenio) tantum profecit, ut Amasio mortuo Romam profecta artes liberales Rhetoricam præprimis publicè in magnâ auditorum frequentiâ docendo, tantam sibi acquisiverit populi benevolentiam, ut etiam Leone IV. mortuo successor sedis Papalis unanimi plebis & cleri suffragio denominata fuerit. Cathedram autem Romanam ultra biennium occupans, contulit testante H. Corn. Agripp. (a) quod mulieribus in Ecclesiâ negatum est, sacros ordines, promovit Episcopos, ministravit Sacramenta, & cætera Romani Pontificis munera exercuit. Tandem verò, ut nihil sub cælo tectum manet, quod non suo tempore reveletur, à familiari quodam imprægnata, cum in publicâ processione in Lateranum ab Ecclesiâ Petri pergeret, pariendi doloribus circumventa, inter Colossæum & S. Clementem cum æterno Papalis sedis opprobrio peperit, præqve nimis partûs doloribus animam efflavit.

§. 2. Hæc historia autem ut verissima & omnibus ad nostra usqve, seculis probata, ita à versutâ & ex fraudibus ac mendaciis compositâ Lojolitarum catervâ undiqve corrasis quibusdam ratiunculis in dubium vocari hodiè solet, cum nullus, qui eam negaverit, inveniatur, anteqvam Lutherus *μεγάλη* illa *σάλπιγξ τ᾽ ἀληθείας* Romanæ meretricis turpitudinem denudare inciperet. Ut verò veritas ejus magis magisq; elucescat, & clara fiat, quinque argumentis eam confirmatam producemus.

Argumen-
tum I.

§. 3. Primum, quo historiæ veritatem probamus, argumentum desumptum erit ab historicorum & quidem ipsorummet Pontificiorum testimoniis, qui veritati subscribentes hanc luce meridianâ clariorem rem negare non audent, sed constanter asserunt.

§. 4. Primus autem & antiqvissimus eorum est (non Marti-
nus

(a) de Sect. monast. p. 151.

2423

tinus Polonus, ut Bellarminus (b) vult, nec Marianus, ut Baronius (c) & alii, sed) *Anastafius Bibliothecarius* Gregorii IV, Johannæ Papissæ σύγχρονος, qui in antiquissimis quibusdam MStis (quale illud est quod Lutetiæ in Bibliothecâ regiâ hodiernum asservari testatur *αὐτόπῃς* Maresius in refut. præf. apol. Curcell. p. 223. nec id inficias ire potest ipse papizans Blondellus p. 47. seqq. *ἀνακρ.* quæst. famos. Confer. etiam B. nostrum Bœclerum in tract. de rebus seculi XI. & X. per seriem Germanorum Cæsarum pag. 117. seq. sub Lothario I. ubi recenset quàm perfidè & malè Moguntini, in suo impresso codice, MSta Heidelbergensia secuti fuerint,) latè hanc historiam describit. Ex quibus patet reliqua Anastasii MSta à falsariâ Jesuitarum manu pessimè esse interpolata. Et majoris apud nos momenti est hic Anastasius, quàm omnia Blondelli & Labbéi argumenta chronologica, cum Papissæ coætaneus fuerit & rem præ aliis optimè nosse potuerit.

§. 5. Anastasium sequitur *Radulphus Flaviacensis*, Benedictini ordinis Monachus, vir elogio Johannis de Trittenheim (d) (à villâ ad Mosellam sitâ ita dicti, & Abbatis quondam monasterii Spanhemensis in Patriâ nostrâ, nunc devastati) in divinis scripturis eruditissimus, & in omnibus literis humanitatis suo tempore doctissimus. Hic, itidem, historiæ de Johannâ VIII. in Chronico suo meminit, eandemque vivis adumbravit coloribus. Floruit, notante Trithemio l. c. anno 910. temporibus Ludovici IV. Imperatoris, sicque 60. tantum annis ab eo, quo hæc historia contigit, tempore, & vel ab ipsis hujus rei spectatoribus haurire, vel à seniorum relatione habere potuit.

§. 6. Reliquit quoque hic Radulphus posteritati *Commentarium* in Levit. libris 20. comprehensum, in quo lib. 18. c. 1. *Antichristus de Regibus triumphabit, hoc est, pedibus suis subjiciet eos: testis Ludovicus II. Imperator & Edelwolphus Rex Anglorum à Johanne VIII. coronati & Fridericus (sc. Barbarossa) quem pedibus calcavit alius Papa.* Incidunt autem Edelwolphi & Ludovici II. tempora in idem, quo Papissa nostra regnasse dicitur, tempus.

§. 7. Radulphum excipit *Marianus Scotus*, Monachus Benedictini

(b) lib. 3. de Rom. Pont. cap. XXIV.

(d) de Script. Eccles. pag. 259.

Etini ordinis, Historiographus (referente Trithemio (f)) insignis & maximus, siquidem in tribus Benedictinorum monachorum contuberniis, Coloniensi, Fuldensi & Moguntinensi vivens, ex vetustissimis illorum & aliorum cœnobiorum libris, qui fallere non possunt, suum Chronicon collegit, vixit verò seculo XI. natus ann. 1028. ut ipse in chron. ad hunc ann. testatur. Libro 3. autem ad ann. 854. expressis & apertis verbis dicit: *Anno Domini 854. anno Lotharii XIV. successit Leoni Johanna mulier, annis duobus, mensibus quinq;, diebus quatuor.* In hoc fanè testimonio nullam veritatis notam desiderari posse video; Scriptor enim est gravis & verax, ut pote cujus fidem in Conciliorum factis ut plurimum sequuntur apertè, nec etiam ex odio in sedem Papalem hæc, cum addictissimus Pontifici tanquam cliens & servus fuerit, scripsit, nec recentior aliquis parasitus est, qui in Pontificis gratiam solem in meridie lucere negaret, sed chronographus antiquus & clarus, quo testimonio ipsum ex vero prosequitur *Sigebert. Gemblac.* in chron. ad ann. 1061.

§. 8. Eodem seculo XI. floruit & *Sigebertus, Monachus Gemblacensis*, vir, judicio Trithemii (g), multum eruditus atq; in secularibus literis nulli suo tempore Leodiensium territorio secundus, hic in Chron. ad ann. 854. idem de Johannâ VIII. meretrice, quod alii statuunt, statuit, dicens; *Fama est hunc Johannem fœminam fuisse, & uni soli familiari cognitam, qui eam amplexus est. Gravida facta peperit Papa existens, quare eam inter Pontifices non numerant quidam.* ideoque nec ipse Autor in suo Chronico nomini numerum facit.

§. 9. Seculo XII. floruit *Godefridus Viterbiensis Presbyter*, qui peregrinatione XL. annorum, in quâ omnes fermè excussit Bibliothecas, magnam sibi eruditionem paravit. Hic quoque in suo Chronico universali, quo nominis sui famam longè diffudit, ipsi *Urbano III. Pontifici dicato*, Papissam Johannam nominat, & admittit, sed inter Pontifices non numerandam esse ait, propter facti ignominiam.

§. 10. Seqventi seculo XIII. extitit *Martinus Polonus*, ordinis Prædicatorum Monachus, Papæque Nicolai III. Pœnitentiarius, qui Chronicon, Bibliothecâ Vaticanâ tanquam Pœnitentiarius, instructus,

(f) de script. Eccles. p. 133. & 266.

(g) libr. cit. p. 270.

structus, in quo res gestas Pontificum & Imperatorum breviter ad sua usque tempora prosequitur, doctissime collegit. In chronico autem ad ann. 851. graphice & late hanc historiam depingit dicens: *Post Leonem IV. Johannes Anglus, natione Moguntinus, sedit annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor. Et cessavit Pontificatus mense uno. Mortuus est Roma. Hic fertur fuisse femina, & cum in puellari etate, a quodam suo amasio, in habitu virili Athenas fuisset ducta, in diversis scientiis ita profecit, ut nullus par sibi inveniretur: adeo ut post Romae triennium legens, magnos magistros discipulos & auditores haberet. Et cum in urbe, vita & scientia magnae opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu per familiarem suam impregnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de S. Petro in Lateranum tenderet, angustiata partu inter Colosseum & S. Clementis Ecclesiam peperit in via. Et postea mortua, ibidem (ut dicitur) sepulta fuit. Et propterea quod Dominus Papa eandem viam semper obliquat, creditur omnino a quibusdam, quod ob detestationem facti hoc faciat. Nec igitur ponitur in Catalogo sanctorum Pontificum, tam propter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti. Hac Martinus Papae Penitentiarius.*

§. II. Post Martinum plures quam sexaginta enarrari adhuc possent Autores, qui eandem cum Martino historiam recensent & probant, ne vero lecturo saepius eadem reiterando nauseam moveamus, eorum testimonia silentio hic praeterimus, pleraque autem videre licet apud B. Gerhardum (b) & Wolffium (i). Notatu digniores ex illis sunt: Don Piero di Mexia (k) qui hanc historiam in authenticis se reperisse, testatur, eandemque cum nonnullis memorabilibus aliis Imperatori Romano Carolo V. lingua Iberica conscriptam, inscripsit. Item Valentius Muntzerus in Chronographia ex Fuldenis Monasterii bibliotheca collecta, Praefuli que ejusdem Coenobii dedicata etate 3. hujus historiae mentionem facit. Meminit quoque ejus Fr. Leander Albertus Bononiensis Monachus, qui in libro quodam a Caesare, Regibus Hispaniarum & Gallicarum privilegiato, testatur se historiam contexuisse ex illis, qui rectius ex-

(b) in Confess. Cath. l. 2. spec. part. 1. c. 4 p. 629. seqq. (i) lect. memorabil. cent. 9. a pag. 176. ad 189. (k) in libro cui titulus: Selva di varia lettione venetiis an. 1585. in 8. excus. part. 1. c. 9.



actiusque scripserint. Item Raphaël Volateranus in Commentariis ipsi Pontifici Julio II. dicatis, & Stephanus Blanck ad Alexandr. VI. de Romæ urbis mirabilibus. Hi Autores, si fictitia essent quæ de Papissâ dicuntur, profectò Imperatori, cœnobiorum præsulibus, imò ipsis Pontificibus dedicare suos libros ausi non fuissent, nec privilegiis fuissent donati, ut Albertus Bononiensis Monachus. Quid multis? ipsi Romani in libello de Indulgentiis Romæ anno 1525. edito scripsere, & asseruere, Angelum huic Papissæ uterum gestanti apparuisse, ipsique optionem eligendi pœnam aut temporalem aut æternam dedisse. Illam verò pudorem temporarium elegisse. Hoc ipsi Romani sunt testati.

§. 12. Ne verò Papicolæ ansam quærendi habeant, quòd solos scriptores Latinos produxerimus, (quamvis magis Latinorum sit, hanc historiam recensere, cum Romæ in Italiâ non in Græciâ contigerit) & non Græcos Romanæ Ecclesiæ hostes infensissimos, idem & eos asserere, probabimus.

§. 13. *Laonicus Chalcocondylas* scriptor Græcus lib. 7. de rebus Turcicis hanc historiam non ignorans sic de scribit: *ubi suffragia, in-
quiens, collegerunt & Pontifex fuerit declaratus, domi eum continent,
explorantes, num & reliquis placeat electio, Pontificem pronuntiatum
insidere jubent sedili foramen habenti, ut testes ex eo propendentes ali-
quis, cui hoc muneris injunctum est, tangat, unde appareat Pontificem
virum esse: Nam constat, mulierem quondam in Pontificatum esse subve-
ctam, quia sexus ignorabatur: Namq; Italia occidentales penè omnes
barbas radunt. Cum autem illa mulier gravida esset facta, & ad festum
sive sacrificium prodisset, peperit infantem inter sacrificium in conspe-
ctu universi populi: Quapropter ne decipiantur iterum, sed rem cogno-
scant, neq; ambigant, Pontificis creati virilia tangunt, & is, qui tangit,
acclamat: Mas nobis est Dominus &c.* Hæc *Laonicus*.

§. 14. *Barlaamus* (1) quoque *Laonico* adhuc antiquior, homo (elogio *Boccatii*) corpore olim pusillus, prægrandis tamen scientiâ, & Græcis eruditissimus, τὸ ἀκολάστου ἐκείνης γυναίκα τὸ ἄπομυθίου πέ-
πα, impudicæ illius muliercule, quæ *Papa* facta fuit, meminit. Sed hæc de primo argumento, ab ipsa Pontificiorum Confessione desumpto sufficient.

§. 15.

(1) in dial. de papæ principatu cap. 14.

§. 15. Secundum argumentum, quo veritatem historiae hujus Argumen-
demonstramus, desumptum erit à publicis picturis ac statuis in æter- tum I I.
nam hujus facti memoriam extructis atq; erectis.

§. 16. Oswaldus Crollius in Itinerario Italico meminit Senis in
templo Cathedrali D. Catharinae omnium Romanorum Pontifi-
cum facies in marmore sculptas inveniri, & in his suo ordine Johan-
nem VIII. quoque, adscriptis his verbis: *Fœmina Angla.* Idem
testatur & Petrus Mexia Hispanus in libro cui titulus: *Selva di varia*
lettione, Venetiis ann. 1585. excuso, part. i. c. 9. conf. Zeiller (m).

§. 17. De statuâ autem in hujus facti memoriam positâ sic in
veteri fragmento (n) de Scholâ Romæ Græcâ legitur: *Perhibent*
historici, fuisse Romæ Scholam Græcis deputatam, inq; eâ olim lectas 7.
artes liberales, præcipuè Rhetoricam. In illâ etiam quandoq; legisse B.
Augustinum & Johannem de Angliâ, sexumulierem, natione Mogunti-
nam & c. Hanc in Papam à Romanis concorditer electam, Papatum bien-
nio amplius tenuisse - Cum quadam die in rogationibus cum clero Romano
in solenni processione procederet, Papalibus ornata divitiis, edidit filium
suum primogenitum propè templum Pacis in urbe, ut adhuc vetus
statua marmorea illic posita figurativè monstrat.

§. 18. Idem testantur quoque Stephanus Blanck Passavianus,
& Marcus Antonius Coccius Sabellicus, vir (iudicio Erasmi) in hi-
storiâ splendide versatus. Ille in libro cui titulus: *Urbis Romæ mi-*
rabilia, dicens: Ibi loci adhuc recumbit saxum quoddam referens scul-
ptam ipsius & infantis ejus imaginem. Hic, Ennead. IX. lib. i. memorat,
quoddam signum sculpturæ marmoreæ in viâ, ubi contigerit, ob hu-
jus rei memoriam positum fuisse.

§. 19. Tertium, unde hanc historiam probare possumus, argu- Argumen-
mentum nobis exhibent anfractuosa Pontificum processiones, qui, tum III.
quando ex Vaticano ad Lateranum pergunt, hanc, in quâ peperis-
se dicitur Johanna, declinare solent viam, aliàs compendiosiore,
tantum unice ob facti detestationem, idque probamus sequentibus
testimoniis.

§. 20. *Chronicon Argentoratense* manuscriptum: *Ideo Papæ*
posthâc viam illam, quia Johanna meretrix ibi enixa est infantem, vi-

B

tant

(m) in epist. cent. 2. epist. 81. p. 504.

(n) apud Wolff. l. c.



tant, alias quærendo ambages. Idem Martinus Polonus Papæ Pœnitentiarius l. c. supra asserit, dicens: Propterea quòd Dominus Papa eandem viam semper obliquat, creditur omninò à quibusdam, quòd ob detestationem facti hoc faciat.

§. 21. *Johannes Boccatus Franc. Petrarchæ auditor in libro de claris mulieribus Cap. 99. huic quoque opinioni subscribit, inquiens: ad cujus detestandam spurcitiem & nominis continuandam memoriam in hodiernum usq; summi Pontifices Rogationum die cum clero & populo sacrum agentes eum locum partus medio itinere positum abominantur, & eo misso declinant per diverticula vicosaq; & sic loco detestabili posttergato reintrantes iter perficiunt quod cœpère. Hæc Boccatus.*

§. 22. Confirmant in super hanc nostram sententiam plurimi alii, ut Ranulph. in Polychron. Sabellic. Naclerus in Chron. Theodorus à Niem. Platina in vitis Pontif. Joh. Stella, Sacerdos Venetus in libro de vitâ & moribus Pontificum, item Chronic. vetus Ulmæ ann. 1486. impressum, in quo omissis aliis hæc recitantur: *Dieselbe Strasse meiden noch alle Pábste/das sie nicht daran kommen/von der Schande wegen.* Sed hæc de processione Pontificum sufficiant.

Argumen-
tum IV.

§. 23. Quartò hanc historiam probamus ex sellâ perforatâ, quæ in Basilicâ Lateranensi servatur, cui recens electus Papa insidens, à Diacono, num mas sit probatur. Et, si veritatem profiteamur, in nullum alium finem hæc sedes est inventa, quàm ut sibi Papi-colæ caveant, ne in posterum decipiantur, &, si tempore electionis Johannæ hujus sellæ usus fuisset introductus, cum æterno Cathedræ Papalis opprobrio non fuissent decepti. Quod autem post puerperæ Johannæ factum hæc sedes demum sit introducta, & ad explorandum sexum adhibita, sequentibus probamus.

§. 24. *Felix Malleolus Canonic. Constant. in dial. de nobil. & rustic. circa ann. 1444. inquit: Successit Benedictus III. natione Romanus, qui in rei memoriam certam Cathedram apud Johannem Lateranensem pertusam erexit, quæ comparet usq; in hodiernum diem, ad hoc coaptatam. ut electus S. Pontifex ibidem collocaretur & per duos de clero fide dignos ejus testiculi, tanquam testes testimonium de sexu virili præbentes, debitè tangerentur. Quid hisce clarius?*

§. 25. Simile quid testatur & *Laonicus Chalcocondylas*, cujus testimonium §. 12. part. 1. jam dum adduximus. Idem testantur quoque

que M. Antonius Coccius Sabellicus Ennead. IX. l. i. 'Spectatur, inquit, ad hæc in Pontificiâ domo marmorea sella, circa medium inanis, quâ novus Pontifex continuò ab ejus creatione residet, ut sedentis genitalia ab ultimo Diacono attrectentur. Joh. Nauclerus, Christian. Massæus, ambo in Chronicis. Stella, & Laurentius Banck, qui ἀυτοπιης in Româ triumphant. c. 13. p. 387. nos admonet, ut minimè dubitemus. quin res se ita habeat, certissimum etenim esse sellam illam marmoream & perforatam in eadem Basilicâ Lateranensi servari, quam multoties se vidisse dicit, probatque insuper ex plurimis scriptoribus Pontificiis aliis, quos ibi annotatos consulere poteris.

§. 26. Quòd autem iste mos sexum explorandi hodiè cesset, non est mirum, siquidem ante ipsum Papatum in Diaconatu, Presbyteratu, Cardinalatu tot generant spurios, ut nemo dubitet eos esse mares, nec tam sanctâ observatione sit opus. Unde non ineptè Janus Pannonius Episcopus Qvinquecclesiensis canit:

*Petre tuâ quædam fuit ausa sedere cathedrâ.
 Orbi terrarum jura ferenda dedit.
 Hæc compressa quidem multos latuisset in annos,
 Facta foret partu nî manifesta novo.
 Post hæc Roma diu simili sibi cavit ab astu,
 Pontificum arcanos quærere sœta sinus.
 Nec poterat quisquam reserantes æthera claves
 Non exploratis sumere testiculis.*

**Cur igitur nostro mos hic jam tempore cessat?
 Ante probat quod se quilibet esse marem.**

Clarius verò in nullo hoc patet, quàm in Innocentio VIII. de quo Marcus Spalatensis sic refert:

*Quid quæris testes, sit mas aut fœmina, Cibo?
 Respice natorum pignora certa gregem.
 Octo Nocens (pro Innocens) genuit pueros, totidemq; puellas,
 Hunc meritò poteris dicere Roma Patrem.*

§. 27. Hæc de quarto argumento dicta sufficiant. Quæ frivola jurati Romanæ meretricis asseclæ hîc objicere soleant, parte alterâ soluta invenies. Sequitur quintum.

§. 28. Quintò veritatem hujus Papissæ ex alto Concilii Constantin- Argumen-
 B 2 stan- tum V.

mi-
de-
de
vi-
no-
S
ni-
bi-
mi
co-
us
næ
lbe
der
tâ,
fi-
ea-
pi-
nis
lræ
pe-
an-
&
na-
ra-
hoc
cle-
ribi
te-
vo-
que



stantiensis silentio probamus. Huic enim Hussius toti bis (o) de Johanne VIII, qui fuerit mulier, instantiam dedit. Cum enim objecta ipsi esset hæc propositio: *Nemo scire potest, an Papa sit caput Ecclesie*, respondit, verum hoc esse Agnetis, quæ Papa facta fuit, exemplo liquet. Item cum objiceretur hoc dogma: *Ideo quis non est Papa, quia à Cardinalibus eligitur, sed quia ea quæ in Papâ requiruntur, in ipso reperiuntur*, regessit: Verum hoc esse in Agnete liquet, quæ ad Papalem evecta est sedem & Johannes dicta. Hæc, inquam, Hussius toti huic Concilio in faciem opposuit, quod Concilium etiam non negavit, nec unum quidem negasse legitur. Profectò si fictitia hæc fuisset historia, infensissimi Hussii hostes cum maximâ animi lætitiâ eum mendacii convicissent.

§. 29. Alia argumenta plura, quibus veritatem hujus historię probare possemus, hic brevitati studentes, sicco præterimus pede, cum eam tot Pontificiorum Scriptorum Papæ obstrictissimorum fide satis probatam esse ducamus. Ad antithesin nos vertimus, præsentemque historiam à technis & dolosis Lojolicæ Sectæ Monachorum objectionibus liberam absolvemus.

PARS SECUNDA,

ΑΝΔΡΟΒΑΣΙΗ.

§. I. **Q**uamvis ante D. Lutheri tempora per septingentos ferme annos nemo, qui Johannam Papissam negaverit, fuerit inventus, tamen recentiores curiæ Romanæ Gnathones & advocati purpuratæ meretricis Babylonice impudentissimi, ne interruptam sedem Papalem & turpiter deformatam esse, concedere cogantur, invitâ etiam veritate præfractè & impudenter dubiam, imò falsam, & planè fictitiam eandem reddere conantur. Primas inter eos partes meritò obtinent acerrimi Pontificatûs propugnatores, R. Bellarminus, C. Baronius, Onuphrius, Florimundus, & Papizans Calvinista Blondellus, qui, nescio, quâ eruditionis ac polyhistorias typho vel arrogantia in gratiam Papistarum hanc historiam singulari tractatu negare ausus fuit. Hos verò omnes minorum gentiû monachi sequuntur & verbotenus plerumque exscribunt. Brevibus autem potiora eorum, & quibus vim aliquam inesse credunt argumenta accuratius

(o) vid. Theobaldi bellum Hussiticum fol. 37. & 41.

curatius paululum considerabimus, responsionesq; ad ea subjun-
gemus.

§. 2. Primum & principale Antagonistarum argumentum
(p) est, quod Anastasius Bibliothecarius, qui eo ipso, quo hoc fa-
ctum contigit, tempore vixisse dicitur, & alii scriptores antiqui,
nullam Johannæ VIII. inter Leonem IV. & Benedictum III. fa-
ciant mentionem, sed aperte asserant post Leonem IV. sedem
quindecim vacasse diebus, & communi consensu mox creatum
fuisse Benedictum III.

§. 3. Respondemus ad hoc argumentum I. quod sit falsum,
Anastasium nullam hujus Papissæ facere mentionē. Antiquissima
MSta hinc inde reperiuntur, quæ latè hanc recensent historiam.
Nec obstat nobis, quod Blondellus p. 50. quæst. fam. *avareg.* dicat,
ex Martino perperam in Anastasium hanc historiam fuisse trans-
latam & ab imperitis scriptoribus transcriptam, cum hæ conje-
cturæ nullius sint æstimandæ. Martinum potius ex Anastasio sua,
quæ de Johanna habet, contexuisse, exinde patet, quia fermè ea-
dem cum Anastasio retinuit verba, ea verò, quæ hinc inde addidit,
ex aliis antiquis instructissimæ Vaticanæ Bibliothecæ codicibus
habuisse, probabilior est sententia. Utinam etiam genuina cæ-
terorum, quos allegant, scriptorum MSta nobis videre continge-
ret, nullius dubito, quin quidam veritatis amantes, ex illis ean-
dem recensuerint historiam, sed à falsariis Jesuitarum manibus
corruptos esse plerosque apertum & clarum est.

§. 4. II. Esto, reticuerint alii post Anastas. antiqui scripto-
res hanc historiam, num propterea erit falsa: à loco testimonii
ratiocinando negativè procedere, præsertim in historiis, sanæ
mentis Philosophis non probatur. Non enim valet: Matthæus,
Marcus & Lucas Christi cum Samaritanâ Colloquium & Lazari
resuscitationem non referunt, Ergò hæc relatio est ficta & falsa?
Absit. Ipse Bellarminus Canonem hunc verificat lib. 2. de Rom.
Pontif. cap. 8. quando dicit: *Nihil concluditur ex argumentis ab
autoritate negativè. Non enim sequitur, Lucas, Paulus, Seneca non*

B. 3 dicunt

(p) vid. Bellarm. lib. 3. de Rom. Pont. c. 24. Baron. tom. X. annal. ad ann.
853. Stalen. p. 51. papissæ monstrosæ. Coqvæum tom. 1. p. 454. apo-
logiæ pro summis Pontif. & alios.



dicunt Petrum fuisse Romæ, igitur Petrus non fuit Romæ? Non enim isti tres omnia dicere debuerunt, & plus creditur tribus testibus affirmantibus, quam mille nihil dicentibus, modò isti non negent quod alii affirmant. Alioqui quia Matthæus non scribit in Evangelio Christum circumcisum: Marcus non meminit presentationis, Lucas non meminit stelle novæ. Johannes non dicit Christum natum de Mariâ virgine, ista omnia erunt falsa, quod absurdissimum est. Hæc Bellarminus. Si verò juxta Bellarmini hypothesein in historicis ne quidem ex sacris literis negativè argumentari licet, multò minus ex profanis scriptoribus licebit.

§. 5. III. Respondemus ex Martino Polono, qui dicit: *Non ponitur in Catalogo Pontificum tam propter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti.* Quidam scriptores (inquit Ranulph. in polychron.) nomen Johannis VIII. reticuerunt & Benedictum III. Leoni IV. substitutum esse quatuor dierum intervallo scribunt, non quod Johannes ille non fuerit, sed ut nihil ignominie aut dedecoris ad sanctam illam Cathedram redundaret. Nam deditâ operâ à scriptoribus præteritus est, ne quâ ignominie labe sedes inde aspergeretur. Nonnulli [inquit Trithemius (q)] foeminam illam inter Pontifices ponere noluerunt, quasi indignum facinus abhorrentes. Clarissimè ergò hinc patet, quare ab Adversariis allegati historici (de quorum plurimis tamen maxime adhuc dubito, num præterierint hanc historiam) utpote qui Romano Pontifici addictissimi hujus rei memoriam silentio involverint, ob rei sc. turpitudinem, ne Romanam sedem pudendo hoc facto polluerent.

§. 6. Secundum Papicolarum argumentum, (r) quo totam rei controversiam se plenissimè decisuros esse, existimant, ex aperto conflatum est mendacio. Dicunt enim Marianum & Sigebertum Gemblacensem, primos fabulæ assertores esse corruptos, in MStis antiqvis nulla de Johannâ extare vestigia, idqve Bellarminus Johannis Molani Doctoris Lovaniensis autoritate, & ejus qui metropolin Krantzii anno 1574. edidit Coloniae, probat, quorum priorem oculatum esse testem, Gemblaci antiqvissimum Si-

(q) in Chronic. Hirsaug. p. 13.
p. 89. l. c.

(r) Bellarm. Baron. l. c. Stalen,

geberti MStum fervari, in quo nulla de Papissâ habeatur litera; posteriorem verò testari, se in multis antiquis Mariani manuscriptis ullum apicem de Papissâ invenire non potuisse.

§. 7. Respondemus I. falsum est, Marianum & Sigebertum primos, qui Papissam ad thronum Cathedræ Romanæ evectam esse recenseant, esse autores, antecessores habent Anastasium Bibliothecarium Joannæ *σύγχρονον* & Radulphum Flaviacensem, qui 60. tantum annis ab eo, quo Papissa vixit, tempore floruit, quorum testimonia supra §. 4. 5. part. 1. adduximus. II. Marianum & Sigebertum corruptos esse, apertum est mendacium, cur editores corruptum Marianum & Sigebertum exhibere voluissent? Nos dicemus potius, si secus in quibusdam MStis legatur, ea à Jesuitis esse corrupta, quàm perfidè namque & nefariè illi cum autoribus agant, notum est. III. Num ita dicentibus fides adhibenda? num MStos codices, qui aliter legant, exhibere poterunt? num testibus probare poterunt, quod editores suorum autorum verba corruerint? ad Calendas græcas id fiet! Testes, quos producunt, sunt domestici, nec hâc in re quicquam valent. Et, si ita liceret procedere, ut nudâ assertione editionibus fidem abrogaremus, & ad MSta, quæ nec exstant, nec exhiberi possunt, ablegare liceret, nulla amplius historicis constabit fides.

§. 7. Excipit Baronius, l. c. quòd Marianus eo tempore scripserit, quo Henricus III. schismate cum suis ab Ecclesiâ Catholicâ defecerit. At, quicquid ejus sit, num propterea à Mariano fidem denegabimus, & eum probati historici muneris oblitum fuisse dicamus, ac Schismaticorum fidem secutum? A Gregorii VII. partibus potius stetit Marianus, quod evidenter satis constat, dum sedis Papalis reverentiâ deceptus sat honorificè de Papâ Gregorio homine monstroso & primo Pontificii Imperii conditore, scripsit.

§. 9. Instat cum Baronio Bellarminus, quod eo ipso tempore fama percrebuerit de fœminâ Patriarchâ Constantinopol., quæ ex odio malevolorum postmodum sedi Romanæ sit applicata. Verùm, ut taceam, neminem hucusque famam illam asseverasse præter Leonem IX. in epist. ad Michaëlem Patriarcham scriptâ, quæ tamen in re præsentinihil probat, nec epistolæ Pontificum,

quæ

quæ ab adversariis passim allegantur, ullam in propriâ causâ merentur fidem, cum pleræque ad stabiliendum Pontificatum Romanum sint confictæ. Et profectò, si vera hæc esset conversio, num, Pontifices id passuros fuisse, quis credet? & miror altum de hâc conversione in sedem Romanam silentium. Prætereà, ut proprio gladio se jugulare solent, qui ad veritatem occultandam suis phantasticis indulgent somniis, ita & hâc Pontificii in evolvendâ origine, quæ historicis ansam comminiscendi de Papissâ Romanâ præbuerit, seipos destruunt. Baronius tom. X. ad ann. 853. p. 109. n. 58. originem à famâ Constantinopolitanâ sumit, at postmodum ad ann. 879. n. 5. p. 550. tom. eod. sui ipsius forsitan oblitus à Johanne, qui ob animi facilitatem nimiam & mollitudinem abjectâ penitus omni virilitate, Photio resistere nequiverat, deducit. Onuphrius ad Johannem XII. currit, & inde originem, quæ historicis ansam comminiscendi dederit, deducere conatur, utpote qui multas aluerit concubinas, ex quarum numero quandam nomine Johannam extitisse, quæ rem sola tenuerit, & cujus forsitan arbitrio omnia Romæ dicta fuerint, exinde in vulgus fabulam de Johannâ Papissâ promanasse. Leo Allatius Comment. de Johann. adhuc aliam refert originem, quam à Thiotâ Prophetissâ Moguntinâ sumit. Ita seipos in evolvendâ fabulosâ, veræ historiæ, origine destruunt, nec inter se convenire possunt. Deinde quod ex odio malevolorum hæc Romanæ sedi fuerint applicata, itidem est falsum, omnes, qui historiam referunt, Pontificiæ sedi addictissimi fuere.

§. 10. Tertiò magno molimine adversarii nobis insultant, & falsitatis historiam accusare nituntur, ex silentio infensissimorum Romanæ sedis hostium, Græcorum, præprimis Photii & Michaëlis, qui eodem tempore orientale moderabatur imperium, Photiiqve stimulis concitatus, omne convitiarum genus in Romanam Ecclesiam conjecit. Hos, inquit, immane hoc scelus reticuisse, & non exprobrasse Pontificibus Romanis, probabilitatem mereri nullam. At, si Photii & aliorum Græcorum silentium in hâc materiâ substrata objicere volunt, necesse erit, ut nobis omnia Photii scripta etiam exhibeant, in quibus absque dubio multæ continebuntur objurgationes, & subfannationes: ast id
neuti-

neutiquam præstare poterunt; publicè namque ea Romæ per carnificem concremârunt, quod ipse Baronius (s) inficias ire nequit, & cur concremassent Photii scripta, si non objurgationum & blasphemiarum in Ecclesiam Romanam fuissent pleni? Extat, quidem hodiè epistola Nicolai I. quâ Michaëli respondit, sed Michaëlis nullibi legitur, ex Nicolai tamen id hauriri potest, quòd multæ in Michaëlis epistola fuerint objurgationes contentæ, quibus Nicolaus etiam respondere recusavit: *Epistola, inquit, vestrae Glorie tota blasphemis, tota erat injuriis plena; & causas responsionis neglectæ reddit suam ægritudinem & Legati festinationem: tertio, inquit, quia cum eadem, quæ superfuerunt in ipsâ epistolâ, ad quæ nihil respondimus, sed potius philosophando contempsimus, plena essent omni pravitate & blasphemîâ, non vestra esse verba, quæ tam perperam sonabant, credidimus.* In hisce blasphemis absque dubio quædam de Papissâ Romanâ comprehensa etiam fuisse, nullus dubito. Deinde, esto (quod tamen vix concessero) reticuerint id Photius & Græci Scriptores, an propterea figmentis accensenda erit hæc historia? Græcorum non fuit recensere eam, sed Latinorum; Romæ in Italiâ, non in Græciâ contigit, nec etiam, eam omninò reticuere Græci, Chalcocondylas & Barlaam ambo Græci eandem referunt, vid. §. 11. 12. 13. part. 1.

§. 10. Instant adversarii dicentes: Si in sedem Romanam evecta fuisset scœmina, Leo IX. Constantinopolitanis objicere non fuisset ausus, quòd scœminam ad sedem Patriarchalem evexissent. At, (quanquam epistolæ Pontificum pleræque nullam mereantur fidem, cum plurimæ sint supposititæ) exhibeant nobis adversarii Michaëlis responsionem, nullus dubito quin Michaël Leoni suam impudentiam affabrè in eâ detexerit, & politicam, astutiam in hoc Leo commisit, dum Constantinopolitanis id, quod Romanis imputandum erat, imputat, non aliter ac meretrix cum honestâ scœminâ rixans, quæ ut anticipet, quod sibi objici posse novit, alteri scortationes & adulteria, quorum tamen ipsa sibi conscia, objicit.

§. 11. Pergunt adversarii, & historiam de Papissâ absurdam
 C
 fabu-

e) tom. X, annal. ad ann. 868. n. 38, p. 407.



fabulam pronuntiant, cum variis modis inter se pugnent ejus scriptores, dum aliqui dicant eam fuisse Anglicam ex Moguntia, at Moguntiam non esse in Angliâ, sed in Germaniâ; alii eam vocent Johannam, alii Agnetem, alii Gilbertam, alii Isabellam, alii Margaritam, alii Dorotheam; Item alios eam appellare Johannem VII. alios VIII. alios IX; item in tempore, quo sederit, maximam esse disharmoniam. At respondet ipse Bellarminus dicens: *Sapissimè constat de re, & non constat de modo vel aliâ circumstantiâ.* Idem & de hâc historiâ dicere licebit, quoad rem seu rei substantiam omnes conveniunt & ὁμοθυμαδὸν asserunt, inter Leonem IV. & Benedictum III. sedisse fœminam, si verò quoad circumstantias discrepent, id veritatem rei non tollit. In designatione patriæ nulla est absurditas: Anglica dicitur à Parentibus Anglicis, vel ab Amasio Anglico; Moguntinensis à natali solo, conf. *S. I. part. I.* Quoad nomen, plerique eam vocitant Johannam; tam multa autem, quibus adversarii eam insigniunt, me non legisse memini, & Stalenus (t) ut ea evolvat & demonstrat, nos ablegat ad autores, (quod huic auctori non insuetum) qui nunquam extitère nec existent: Isabellam, inquit, eam vocare quosdam Germanos, nullos verò allegat. Dorotheam & Margaritam eam vocat Baronius, at nullâ id autoritate demonstrat. Cæterorum nominum rationem dare possumus sufficientem. Gilberta namque à parentibus dicta, postea sexum mentita sibi nomen Johannis aptavit, quo detecto ex nomine Johannis autores fœmininum nomen Johannæ fecère. Agnetæ verò nomen ortum suum debere dicerem Batavorum Jancke, aut Itolorum Janetta, vel Gallorum Janette. Reliqua quibus eam insigniunt nomina, nullibi legi inproclivi est. Esto etiam (nondum tamen concessio) sit diversitas in nomine, ane idcirco pro figmento habenda, hæc historia? ane Papiculæ dicent historiam suam de Catharinâ Alexandrinâ Costi Regis filia, quia dissidium est inter nomen, alii eam namque Catharinam, alii Dorotheam, alii Hecaterinam appellant, ane, inquam, propterea dicent esse figmentum? vix credo illos id concessuros esse. Quod numerum Papissæ attinet, nec hoc nobis contrariatur, siue fuerit Johannes VII. siue VIII.

siue

(t) tract. I. Papissæ monstruosæ quæst. 4. p. 5. 6.]

five IX. Benedictum Sergii IV. successorem alii vocant VIII. alii VII. Honorium Calixti II. successorem, alii III. hujus nominis faciunt, alii II. Anne verò propterea Adversarii eos non fuisse Romæ Episcopos, dicent? Sufficit nobis, quòd omnes in hoc conveniant, Johannam hanc sedisse inter Leonem IV. & Benedictum III. Diversitatem autorum in assignando tempore, quamdiu regnaverit, quod attinet, nec id historiæ veritatem tollit, nam quemadmodum ipse Bellarminus (u) dicit: *Discordiam de tempore non infirmare suam de Petro sententiam, saepe enim constare de re, sed non de modo vel aliâ circumstantiâ*, ita & nos idem testimonium hic applicare poterimus: Discordia de tempore nostram de hâc Papisâ sententiam non destruit, cum de re certò certius nobis constet.

§. 12. Objiciunt Adversarii ulterius nobis, quòd dicamus Johannam hanc Athenis operam dedisse literis, cum tamen Athenis, imò in totâ Græciâ tempore ejus nulla fuerint Gymnasia literaria, idque probant ex Synesii epist. ult. ad fratrem, quâ dicat quòd suo tempore Athenis nihil nisi nomen Academiae fuerit; item ex Cedreno & Zonarâ, qui scribant in vitâ Michaëlis & Theodoræ Imperatorum, circa finem Imperii Michaëlis, quando nimirum solus Matre amotâ, regnabat, bonarum artium & Philosophiæ Scholas fuisse restitutas à Bardâ Cæsare, cum usque ad illud tempus per annos plurimos ita fuissent extincta omnia studia sapientiæ in Græciâ, ut ne vestigium quidem ullum exstaret. At, falsa nobis obtrudunt Adversarii, tempore hujus Papisæ utique collegia & Gymnasia literaria Athenis adhuc fuere, quamvis non ita celebria ac olim, nec epistola Synesii, quam adducunt, id, quod probandum erat, probat. Non dicit Synesius, planè fuisse everfa literarum Gymnasia, sed non ita floruisse ac olim, nec se sibi tales, quos sperâset, profectus acquirere potuisse. Verba ejus c. l. hæc sunt: *ὡς ἔδέν ἔχουσιν αἱ νῦν Ἀθῆναι σεμνὸν ἀλλ' ἢ τὰ πλείονα τῶν χωρίων ὀνόματα*, *Athene nunc nihil clarum aut splendidum habent præter insignia locorum nomina.* Non ait everfas, sed ferè orbas esse, & non sic floruisse ut olim, Lyceum tamen & Stoam & alia

C 2

infi-

(u) lib. II. de Roman. Pontif. cap. 5.



in signiora loca restare. Deinde etiam etsi tempore Synesii Athenis literæ interiissent, annon interea temporis reviviscere & restaurari potuissent? Esto etiam, fuerint extincta Gymnasia (quod tamen falsum) Athenis, linguam tamen Græcam ibi adhuc floruisse mihi Adversarii non negabunt, cujus cognitio curiosum & discendi cupidum animum facile eò abducere potuit. Zonaram autem & Cedrenum quod attinet, non loquuntur hi de universâ Græciâ, sed tantum de Constantinopoli, in quâ studium sapientia obsolevisse & exulasse conqveruntur τῆ τῶν κατ'ἄνω ἀρχαῶν καὶ ἀμαθία, Michaëlem autem & homines nullâ eruditione tinctos & politos, quos ille audiebat & quibus auscultabat, intelligunt. Nam aliàs uterque Autor narrat, quòd apud Theophilum, Michaëlis Parentem, literæ & literati in magno fuerint pretio, ita ut etiam, cum Theophilo aliquando Leonis Philosophi insignis eruditio innotuisset, statim eum accersiverit, ditatumque publicè docere jusserit, ei in Gymnasii usum ædem XL. martyrum concedens. Hic autem Leo *literis & Poëtis, ut ipse ferebat, initiatus fuit Byzantii, Rhetoricam, Philosophiam, Arithmeticam & reliquas scientias in Andro insulâ didicit, ibi versatus cum Michaële Psello viro præstante.* Hæc Cedrenus. Incidunt autem tempora Leonis & Pselli in ipsam Johannæ adolescentiam, in quâ ab Amasio Athenas ductam scribit Martinus. Et, si studia in universâ Græciâ penitus interiissent, & nulla eorum vestigia reliqua fuissent, unde Photius, vir multiplici eruditione insignis & admirabilis prodiisset? Si Athenis studia penitus interiissent, quomodo Boëthius homo Romanus, qui post Synesium vixit, studere Athenis potuisset? quod tamen testatur Theodoric. l. i. in epist. ad Boëth. Garriant igitur nunc Adversarii, tempore Johannæ nulla in totâ Græciâ fuisse Gymnasia literaria!

§. 13. Pergunt adversarii ad statuam, quam supra §. 16. 17. part. i. in æternam hujus facti memoriam positam esse dicebamus, negantes eam repræsentasse Johannam Papissam, cum grandior natu puer ipsam præcesserit, probabilius igitur esse, quod repræsentarit Sacerdotem Ethnicum cū præcedente famulo. At, cur ergò eam suppresserunt? cur eam in Tiberim projecere? nisi
ut

2139

ut rei memoriam per statuam hanc significatam delerent. Deinde unde adversarii probant puerum grandiore[m] præcessisse eam? Forsan figmentum est ex Bellarmini (quem unicè tanquam oculatum testem producunt) cerebello ortum. Et credo ego, tot Gravissimorum Historicorum fidem, quos supra §. 16. 17. part. 1. allegavimus, tantum valere, quantum unius Bellarmini, cui unus hic præfixus fuit scopus, ut Romanam sedem, quibus possit argumentis, tueatur.

§. 14. Ejusdem farinae argumentum est, quo flexuosas Pontificum processiones excusant. Dicunt viam istam, quã Johanna dicitur peperisse, esse angustam & anfractuosam, Pontificali-que comitatu[m] incommodam. At, illi qui testes oculati sunt, contrarium probant, & quòd via illa non angusta, sed lata satis, testantur plurimi §. 16. seqq. part. 1. adducti. Et ipse Bellarm. lib. III. de R. P. c. XXIV. sui ipsius forsan oblitus, recenset ex Onuphrio, quòd non desint Pontifices, qui non semel per hanc ipsam viam iter fecerint, sanè hi per hanc viam iter non fecissent, si anfractuosa[m] & Pontificali comitatu[m] angustam & incommodam novissent.

§. 15. Sellam Porphyreticam, quam supra §. 22. seqq. part. 1. ad explorandum sexum inventam esse dicebamus, maximopere negare audet Bellarminus loco sæpius citato, ejusque asseclæ, dicentes in longè alium finem eandem sellam servari, non ut exploretur sexus & genitalia attrectentur, sed ut recens creato Papæ per eam ceremoniam, eum de loco humillimo ad locum summum ascendere, significetur, indeque elevantes canere illud 1. Reg. 2. v. 6: *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem.* At, distingvat Bellarminus tempora. Non sequitur, quòd id, quod hodiè obsolevit, olim non fuerit in usu. Testantur Auctores, de quorum fide non dubitamus, in eum usum sellam hanc fuisse servatam, quos mendaces Bellarminus non pronuntiabit, cum plerique ejus in religione sint fratres. Et, si non ad explorandum sexum servata, cur perforata? nonne ut genitalia attrectentur? Forsan etiam quid mystici sub hoc foramine latebit,


quod tamen Bellarminum non expressisse miror. Sed de fellis suis Pontificii disputent ipsi. Verba autorum sunt clara.

§. 16. Ultimum nostrum supra §. 27. part. 1. positum argumentum restat, quod neminem præter unicum (quantum scio) Stalenum attigisse demiror. At, quàm elumbis hujus viri sit responsio, cuilibet sanæ mentis homini facilè patet: *Concilium*, inquit pag. 153. *Papiss. monstros. Constantiense historiam de Papissâ non refellit, Ergò sensit eam esse veram. Stultâ argumentatio: Quasi necesse esset Concilium omnes hostium nugas refellere.* Stultam nos potiùs Staleni dicemus responsionem. Notum est quàm acriter in Hussium debacchatum fuerit Concilium Constantiense, & quæ levissima in ipsum conjecerit. Si bonam habuissent causam, quam defendere valuissent, absque dubio Hussium omnium mendacium mendacissimum proclamâssent hominem. Cum verò tacerint, & penitus ad Hussii verba obmutuerint, signum est eos historiam de Johannâ Papissâ, omnium ore tum temporis approbatam & suo silentio comprobâsse. Qui tacet, consentire videtur.

Sed hæc de Papissâ Romanâ breviter dixisse sufficiant.

Deo pro concessis viribus & Spiritus Sancti
assistentiâ Soli

Laus Honor & Gloria.



IMPERTINENTIA.

I.

Concilium Papæ præferendum, Papæque erranti contradicendum esse, asserit Æneas Sylvius, primum, Frederici III. Imperatoris Secretarius, postmodum Episcopus Senensis, Cardinalis, ac demum Papa, Piusque II. dictus. Verba ejus epistol. ad studium Coloniens. hæc sunt: Æneas Sylvius Rectori & Universitati studii
Colo-

„ Colonienſis S. D. Homini Chriſtiano, qui verè Chri-
 „ ſtianus vult dici, nullam rem magis cordi eſſe conve-
 „ nit, quàm ut fidei ſibi per Majores à Chriſto traditæ
 „ puritatem ſervari ab omnibus immaculatam, ſtu-
 „ deat. Et quippe, ſi quando adverſus Evangelicas tra-
 „ ditiones aliquid adſtruitur, ſurgendum populariter
 „ eſt, & ad commune reſtingyendum incendium af-
 „ ferre aquam omnes tenemur. Nec timendum eſt,
 „ ut inimici, aut inviſi ſiamus, verum dicentes: reſi-
 „ ſtendum eſt quibuſcunqve in faciem, ſive Paulus, ſi-
 „ ve Petrus ſit, qui ad veritatem non ambulat Evange-
 „ lii. Quam rem feciſſe per hos dies Univerſitatem
 „ veſtram, gaudio in hoc ſacro Baſileenſi Concilio gau-
 „ demus omnes. Allatus namqve ad nos eſt tractatu-
 „ lus quidam veſter, quo imperitiam, vel verius dicam,
 „ temeritatem illorum arguitis, qui ſubjectum genera-
 „ li Concilio Romanum Pontificem eſſe diffitentur,
 „ quos ſic vivacibus rationibus & ſcripturarum verita-
 „ te premitis, & retunditis, ut ne tanquàm lubrici an-
 „ gves ſe evolvere, nec in aliquo cavillari aut ſugillare
 „ queant. Eccur ergò hodierni Papæ ſe ultra Concili-
 „ um efferunt?

II.

Argentinenſium Episcopos olim non Episcopos, ſed Paſto-
 res tantùm dictos, communemqve eorundem for-
 mulam fuiſſe: *Ego N. divinâ favente clementiâ Ar-
 gentinenſis Eccleſiæ Paſtor indignus*, probat Jacobus
 Wimphelingus in Chron. Argentinenſ. Episcop.

III.

Gregorius M. Episcopos Romanus epistolæ lib. 3. epistolæ 2.
 Imperatorem tunc Conſtantinopoli ſedentem vocat
 & recognoscit Dominum ſuum à Deo conſtitutum,
 ſeqve

2192

QNT 1678

seqve ejus subditum & famulum, Idem Epistol. lib. 2. epist. 6. & lib. 4. epist. 13. cum seq. ejus quoque filios Augustos & Cæsares à Patre factos piissimos, Serenissimos & Clementissimos Dominos suos vocat. Cur igitur hodierni Papæ tantum sibi arrogant & se supra Imperatorem extollunt?

IV.

Lepidas ad nomen Jesuitæ allusiones, reipsâ cum Jesuitarum dogmatibus consentientes, quidam ex Germanicâ lingvâ evolvunt, itâ ut Jesuwiter juxta Germaniæ superioris idioma dicatur quasi Jesu wider/ Est enim inter t & d. Symbolismus usitatus, ut Thumherr und Dummerherr: Vel juxta idioma inferioris Germaniæ Jesuwitt/ quasi west von Jesu/ quia & ipsi longè sint à JESU & procul ab Eo abducant. Alii nomen Jesu vitæ idem esse volunt ac JESUM VITA, cum symbolum, regula & summa professionis ac vitæ ipsorum hæc sit: *Jesum vita*. Alii παρονομασίας quærentes dicunt Jesu vitas dici quasi Esavitas vel Jebusitas, & historiæ illæ sanè & allusiones non malè quadrant ad Sectam Jesuitarum.

vide & Onuphrij
Ponprij
interpretati
ne Ecclesia
Nicaj. vocat.



Basiliæ ap
pellatas majores
Ecclesias quæ
a. deo dilatet
& nominatæ
Dominicæ unde
Germaniâ Doubl,
Dom Kiofr. aut
martyrby, unde ap
pellata Marthina esse
minores a. vocantur
magnifice extructæ
Terminari. sicut
Julia, Jovia, Emilia legimus. Christiani postea hæc
nomine a. d. by sacer quor Ecclesie chæ vocantur im-
didicunt, V. Sulpit. Sever. lib. 11. Max usa repina
vinby Basilicæ in loco domi ad rethorici & palati
vid. consilium Ad quem loci hinc usque vocat

Basiliæ sunt
quæ a conditoribus suis vocabantur
Terminari. sicut
Julia, Jovia, Emilia legimus. Christiani postea hæc
nomine a. d. by sacer quor Ecclesie chæ vocantur im-
didicunt, V. Sulpit. Sever. lib. 11. Max usa repina
vinby Basilicæ in loco domi ad rethorici & palati
vid. consilium Ad quem loci hinc usque vocat

Q. K. 419, 18.

XX

Inclyt
JOHANN

M. JOHANN

AUGUST

Typi


SA

EO,

8-BIBLIOTHEK
ALLE
SAALE)
M. Morbitz.

012

12



II i
1678

